

## INTRODUCTIO IN S. THEOLOGIAM

Ultimis his decenniis, modernismo praesertim ac positivismo incitantibus, doctores catholici non semel compulsi sunt ad trutinam revocare « theologicum problema ». Verum discussiones atque disceptationes, quae hinc inde agitatae sunt novissime, videntur iam finem recepisse a nuper datis Litteris encyclicis *Humani generis*, quibus Romanus Pontifex clare aperteque reprobat auctores, qui « eo usque procedere audeant ut serio quaestionem moveant num theologia eiusque methodus, non modo perficiendae, verum etiam omnino reformandae sint, ut regnum Christi quocumque terrarum, inter homines cuiusvis culturae vel cuiusvis opinionis religiosae efficacius propagetur » (*AAS.*, 42 [1950], p. 564).

Nihilominus opus, quod districando gravissimo illi problemati dicatum nuper publici iuris fecit R. P. Bartholomaeus M. Xiberta, O. Carm.,<sup>1</sup> in Collegio Internat. S. Alberti de Urbe professor ac Pontificiae Academiae Romanae S. Thomae socius, totam suam vim totumque suum momentum actu retinere pergit nostris quoque diebus, ob eam potissimum rationem quod plane consonat doctrinalibus praedictarum Litterarum normis contra opiniones plus minusve e recto itinere aberrantes, quibus A. minime subscribendum censuerat, felici animo praesagiens tutam semitam quam secutura erat auctoritas ecclesiastica.

Persuasum habens aequam nondum inventam esse viam in theologico problemate discutiendo atque solvendo, R. P. diutina investigatione, rigorosa procedendi ratione, necnon sagaci rerum intuitu, penes veteres novosque magistros elementa collegit aptiora ad illustrandam iuxta hodiernas exigentias naturam et indolem disciplinae theologiae; eaque naviter perpensa, personali prospectu et diligentiori studio elaborata, in unum organice composuit, nobis exhibens absolutum specimen tractationis scientificae de radice, constitutione, proprietatibus, fontibus et methodo sacrae theologiae.

Opportuno consilio praemissis rerum tractandarum notionibus, historicis lineamentis, atque amplissima bibliographia systematice distributa, — in qua exactius referuntur peractae investigationes de doctore scholasticis medii aevi, de reformatorebus exeuntis eiusdem medii

---

<sup>1</sup> XIBERTA, BARTHOLOMAEUS M., O. Carm., *Introductio in sacram theologiam*. Matriti, [Consejo Superior de investigaciones científicas], 1949. 371 p.; 25,5 cm.

aevi, de theologia posttridentina, necnon de auctoribus saeculi XIX et XX. — Introductio dividitur in tres partes: prima considerat divinam revelationem prout est processu intellectuali percipienda, disserens de exigentiis christianae revelationis, de ambitu, ac de muneribus praedicti processus intellectualis circa revelata; altera attingit ipsam sacram theologiam, successive enucleans eius constitutionem, munera, ambitum, ortum, habitudinem ad reliquas disciplinas encyclopaediae theologiae, comparationem cum disciplinis rationalibus, necnon illius proprietates in quantum simpliciter disciplina et in quantum sacra disciplina; tertia denique pertractat de fontibus sacrae theologiae, — quinam sint, quid singuli praestent, quisnam eorum valor, — de typis veritatum theologiarum, et de normis quae apte praesideant structurae tractationis theologiae.

Primam partem haud immerito diceres praeambulum ad s. theologiam proprie dictam, cum multa exploret, quae, — pressius loquendo, — spectarent directe et immediate non ad theologicam ipsam disciplinam, sed ad revelationem vel ad fidem; quaeque alibi in respectivis tractatibus, quasi in propria sede essent latius et commodius proseguenda. Ea tamen utiliter hic proposita existimamus, non modo propter modernistas, quarum haeresis, damnata sane at minime extincta, serpere non desinit in Ecclesia Dei; verum etiam ob studium determinandi radicem, ex qua progerminet sacra theologia. Sed neque oblivisci possumus acre bellum duci hodie contra traditionalem nostram theologiam, non quatenus negetur una vel altera ipsius proprietates, sed quatenus « ex ima radice negatur divinae revelationi vis excitandi ullum processum intellectualem » (pp. 62-63). Altera pars est centralis nucleus totius operis, eo quod sacra theologia, stricte dicta, vere constituit introductionis « subiectum » (p. 177); et, nonnisi intuitu huius disciplinae, A. se exarasse fatetur praesentem introductionem (p. 175). Tertia pars, e contra, est integralis et complementaria, attamen haud minus necessaria, quia examini submittit methodum propriam s. theologiae, seu peculiarem rationem instruendi theologicam disciplinam: de qua re non minus acerbe disputant magistri ab ineunte hoc saeculo.

Porro per totam A. considerationem logica decurrit evolutio cuiusdam thematis fundamentalis, quod, a generalioribus exordiens, magis magisque determinatur per viginti quatuor quaestiones sibi continuo succedentes. Et haec videntur nobis praestantiora istius progressionis momenta:

1<sup>o</sup> Divina revelatio ita est commissa fidei et contemplationi, ut eo ipso excitet processum intellectualem, quo mediante revelata percipiuntur obiective, excluso quolibet processu arationali (pp. 63-64);

2<sup>o</sup> intellectualis hic processus, isque « clausus intra limites institutionis catecheticae » (p. 120), non iisdem continetur limitibus ac fides et contemplatio (p. 76); distinguitur a processu rationali atque apologetico, quo evincitur fidei christianae rationalis credibilitas (p. 67); sed neque est confundendus cum processu scientifico, « qui constituit scientiam s. theologiae » (p. 75);

3<sup>o</sup> huic processui intellectuali, quamvis sit rudimentalis, plures functiones competunt. Scilicet :

« praesupposita praeambulorum fidei cognitione necnon convenienti signorum aestimatione

a) Contenta in fontibus revelationis et magisterii Ecclesiae materialiter addiscere.

b) Obiecta revelata formaliter exhibere signatis tum eorum quiditatibus, tum ceteris omnibus, quae fidei et contemplationi sint proponenda. Signatis quiditatibus, inquam, non solum quae ipsis fontibus revelationis immediate innotescunt, verum etiam illis quae mediate tantum, argumentationis ope, statuuntur.

c) Eadem obiecta revelata subiective percipere et intelligere.

d) Notare conformitatem eorum quae de obiectis revelatis dicuntur cum fontibus revelationis et cum magisterio Ecclesiae tum praesentis tum praeteritorum saeculorum necnon cum ratione.

e) Tandem cetera omnia elucidare quae opportuna sint ad perfectam possessionem obiectorum fidei » (pp. 155-156) ;

4<sup>o</sup> intellectualis ille processus, consequenter, non restringitur unice ad simplicem perceptionem veritatum revelatarum, sed « plane natus est progredi ultra campum strictae fidei » (p. 76). Etenim sua sponte, — licet non necessario, — convertitur in profundiorum indagacionem, qualem requirit et postulat indoles scientifica cuiuslibet disciplinae ;

5<sup>o</sup> theologia, proinde, est ipsemet processus intellectualis per revelationem excitatus, sed iam evolutus atque ad « perfectionem disciplinae scientificae » perductus (p. 175).

Theologia consequenter, definiri valet : secundum formam quidem, « disciplina excitata divina revelatione ad ipsius vim plene excipiendam » (p. 192) ; secundum rem autem, « disciplina quae agit de Deo deque aliis ordinatis ad Deum et quidem cum adiutorio divinae revelationis » (p. 228).

Eius obiectum *materiale* constituunt « omnia pertinentia ad religionem quae in fontibus revelationis continentur, prout in systema doctrinarum quomodocumque inseri valeant ». Obiectum *formale quod*, sive subiectum, « est Deus prout revelatione innotescit ut in se est ». Obiectum *formale quo*, sive lumen sub quo, « est ratio revelati sive revelabilis absque limitatione » (p. 223).

In nuper relata synthesisi summopere delectat quod A. omni ope nitatur asserere et vindicare indolem « realem » s. theologiae adversus nominalistas, modernistas, ac nonnullos recentes catholicos doctores, qui « loquendi rationem modernistarum imitati sunt » (p. 234). Scilicet : perample eruditus, novit, meditatus est, immo et exposuit (pp. 92-115) quid modernistae, quid novissimi hi doctores (Dominicus Chenu, Ludovicus Charlier, Thaddaeus Soiron, Georgius Koepgen, Joannes Daniélou, Henricus de Lubac, et alii) excogitaverint de s. theologia vel reformanda ab imis, vel simpliciter substituenda per aliam novam, eamque « magis mysticam » ; et nihilominus praetulit adhaerere instantius doctrinae et principii D. Thomae Aquinatis, cuius mentem optime

callet. Didicerat enim « Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse » (p. 31).

Hinc, retenta traditionali notione s. theologiae, iterum atque iterum inculcare suscepit obiectivum eius valorem et realem eius indolem adversus novas conceptiones, quin tamen praetermitteret illius diversos aspectus proponere sub nova quadam ratione hodiernis conditionibus et necessitatibus respondente.

Hinc praeterea constans eius recursus ad ecclesiasticam traditionem : ad Ecclesiae magisterium, ad SS. Patres, ad scholasticos Doctores. Unum sit exemplum : ubi determinare debuit singulas functiones processus intellectualis circa revelata, non arbitrarie processit, sed omnia recensuit ac « propositionibus peremptoriis et plane definitis » enuntiavit (p. 156), postquam sedulus investigaverat quid doctores medii aevi, — s. Thomas et alii, praethomistae, postthomistae, — quid scholastici posteriores a saeculo XV ad saeculum XIX, quid tandem auctores nostri aevi determinaverint de muneribus s. theologiae.

Hinc tandem exactissima eius iudicia in rebus controversis. De fautoribus novae theologiae condendae, — scilicet « kerygmaticae », — haec proferre non dubitat : « Si velint pertinentia ad animos commovendos multum extollere, et in hunc finem diligenter colligant symbola, metaphoras, locutiones poëticas, amplas intuitiones aliaque huiusmodi quae in S. Scriptura et in SS. Patribus abundant, quaeque in systemate scientifico locum vix inveniunt, sane laudandi sunt ; si autem his elementis aliud systema construere praetendant, frustra laborare videntur » (p. 186). Diuturnam porro disceptationem circa methodum s. theologiae sic dirimit, ut legitimam habeat distinctionem inter positivam et scholasticam, si ea referatur « ad accidentalem tractandi rationem aut ad duas partes quibus tractationes theologicae constare debent, siquidem theologicae quaestiones solvendae sunt auctoritate et ratione » ; sed eam prorsus illegitimam dicat, si distinctio illa « extendatur usque ad separationem duplicis theologiae. Quae separatio minime fundatur in natura rei sed in limitationibus hominum. Nam s. theologiae munera quae supra enumeravimus partim solvuntur recurso ad auctoritates, partim adhibita ratione. Unde theologus utrumque perficere paratus esse debet » (pp. 194-95).

Sine dubio plura occurrunt laude digna in praeclari A. opere. Verum nec alia desunt, quibus fortasse non subscriberent omnes.

Imprimis ad evitandam omnem vel levem obscuritatem et confusio- nem, bonum fuisset, si A. retinisset semper eandem rigorosam terminorum suppositionem.

Sic nullus fuisset relictus ambigendi locus, si A. ab ipso tractationis suae exordio, distinctione inducta inter « processum intellectualem » et « sacram theologiam », vocem istam reservasset processui scientifico. Quo in casu, aliter sane inscripsisset caput primum, in quo ostenditur quidem « processum intellectualem » oriri de exigentiis christianae revelationis, non autem generari processum intellectualem scientificum seu s. theologiam, prout fert titulus (p. 69). Revera, initio capitis im-

mediate subsequentis (cap. 2) explicitis verbis admonet A. : « Vindicatione processu intellectuali circa revelata et explicata eiusdem habitudine ad fidem et contemplationem, nondum praesto sunt omnia requisita ad sacram theologiam asserendam quae vocari possit scientia fidei ; nam ad eam non sufficit processus intellectualis clausus intra limites institutionis catecheticae, quo tamen plane satis fit exigentiis revelationis quantum ad fidem et contemplationem simpliciter exercendam » (p. 121). Et, cum enumerat eiusdem processus intellectualis functiones, animadvertit : « In hac quaestione minime agi de scientia theologica in specie, sed de processu intellectuali circa revelata in genere. Hinc postea fiet transitus ad s. theologiam » (p. 156).

Similiter urgens ratio, ob quam affirmari debet intellectualis processus divina revelatione excitatus, non est praecise ut fides sit obsequium *rationale* (p. 77), sed potius ut in tuto ponatur *obiectivus* character fidei et obiectiva praesentatio veritatis credendae, excluso quolibet subiectivismo, « qui alioquin nostris actibus inhaeret » (p. 65). Nam, sicut optime declarat A., ex una parte « processus intellectualis praesentat obiecta homini actus humanos operaturo, totique vitae humanae affert arrham obiectivitatis » (p. 65) ; et ex alia, « nulla operatio religionis christianae fertur ad ignotum, neque producitur impulsu tantum subiectivo, sed omnes feruntur ad obiecta praesentata per intellectum, ideoque producuntur impulsu plane obiectivo. Religionis exercitium non est emotio subiectiva, sed motus conscius in Deum » (pp. 66-67). Ceterum, obsequium *rationale*, seu rationi consentaneum, supponit processum intellectualem affatim *evolutum*, videlicet « apologeticum » processum, eo quod necessitas praemittendi debitam signorum estimationem suscitavit apologeticam ; et huic disciplinae, saltem ex parte, adiungitur praeambulum fidei « scientifica » cognitio, seu proprie dicta « demonstratio » (p. 176).

Displicet deinde quod A. omiserit uberius et fusius expolire *sapientialem* indolem sacrae theologiae eiusque *subalternationem* scientiae Dei et Beatorum, modicum ac fere nullum momentum tribuens huiusmodi quaestionibus. Et hoc maxime displicet, quia nobis persuasum est totam inde pendere solidam structuram aedificii theologici : nam exinde colligimus et rationem sufficientem diversorum munerum disciplinae theologiae, et radicale motivum eius unitatis, dignitatis ac certitudinis.

Nec forsitan a vero abest dicere e neglecta pleniori hac rerum visione A. devenisse in singularem suam sententiam de « theologia fundamentali », cui mordicus denegat rationem legitimam ad existendum. En quibus verbis pandit suam mentem ad modum theses :

« Theologia nullatenus agnoscit tamquam ipsius fundamentum demonstrationem rationalem credibilitatis fidei christianae.

Demonstratio theologica credibilitatis fidei christianae non est pars fundamentalis s. theologiae, sed partim eidem theologiae locis opportunis inseritur, partim seorsim pertractatur.

Non datur theologia fundamentalis proprie dicta, sed tantum intro-

ductio in s. theologiam, quae, in quantum possibile est, ad aspectus mere formales disciplinae restringi debet » (p. 200).

Sed non omnibus certo arrideret huiusmodi opinatio; neque argumenta, quibus fulcitur, eam reddunt firmam et acceptabilem.

Iuxta A., si demonstratio theologica credibilitatis fidei christianae esset pars fundamentalis s. theologiae, cogeremur, ad maiores illogismos vitandos, « realitates obiectivas comprimere ». Ita Christus Dominus tractandus foret tamquam legatus divinus, praetermissa eius divinitate: « quod num theologice congruat (agitur enim de apologetica sub lumine fidei colenda) mihi valde dubium est » (p. 203). At scrupulus est iste, pacato animo despiciendus, prout theologum decet! Siquidem vir apologeta est sine ulla dubitatione vir fidelis, cum sine fide impossibilis sit verus atque sincerus labor apologeticus. Ergo qui rerum revelatarum patrocinium et defensionem suscipit, is profecto plenius consentit huiusmodi veritatibus, licet non totam vim suae fidei exserat nec totam eius amplitudinem explicet per suum actum defensivum. Defensoris partes sustinens, abstrahere potest quandoque a pleniori illarum veritatum consideratione, quin tamen eas denegat aut in dubium vertat. Abstrahentium autem non est mendacium! Praeterea, nonne apologetica nostra est pars, eaque « potentialis », istius habitus sapientialis, quae est s. theologia? Et in quantum pars « potentialis », nonne verificat sibi vindicat specificam rationem sui « totius », quamvis non plene possideat nec exercere valeat totam eius vim, totamque virtutem?

Deinde, ad dirimendam praefatam quaestionem quam expendit A., loco insistendi in nota presse *scientifica*<sup>2</sup> ipsius s. theologiae, erat potius urgenda illius indoles *defensiva*: quam defensivam indolem necessario postulat et connaturaliter praesefert sacra doctrina, praecise in quantum sortitur rationem sapientiae. Qua talis enim, quin id committat alteri, sibimetipsi reservat suorum principiorum defensionem et patrocinium contra negantes ea. Constat vero principium primordiale atque fundamentale s. theologiae esse divinam revelationem; nec minus liquet istius principii, sive « fundamenti », defensionem non ab alio efficaciter absolvi quam a viro apologeta; et quidem per eam disciplinam, quae nuncupatur « theologia fundamentalis ». Quare apologetica, — sive processus intellectualis, rationalis, scientificus (« theologia ») de principiis fundamentalibus (« fundamentalis ») s. doctrinae, — iure meritoque dicenda est « theologia fundamentalis »; eo vel magis quod hoc munus defensivum, ut nuper dicebamus, sponte sua profluit ex ipsa ratione s. theologiae, prout haec intelligitur ac praedicatur habitus sapientialis.

Et tandem timet A. ne firmetur opinio quod veritatum theologica-

<sup>2</sup> « Ut cognitio veritatum credendarum sit *scientifica*, necesse non est ut incipiamus a fundatione *scientifica* fidei per argumenta rationalia, ac si absque eiusmodi fundatione indoles *scientifica* theologiae tolleretur. Ratio *scientiae* in s. theologia integra manet, etiamsi fides cui connectitur motivis non scientificis (iterum dico, non propterea solidis) possideatur » (p. 201). Sublineatio est nostra.

rum certitudo « in rationes a nobis factas ultimo reducatur » (p. 203), si apologetica requiratur ante theologiam et si praecedat theologica demonstratio veritatum quae in theologia continuo supponuntur.

Sed iterum inanis est timor. Enim vero theologiarum veritatum certitudo, etiamsi praecedat apologetica demonstratio, minime revocatur ad rationes mere humanas seu a nobis factas ; sed reducitur atque resolvitur ultimo in ipsam Dei ac Beatorum scientiam, cui subalternatur mediante fide. Nec ipsa fides resolvitur postremo in iudicium credibilitatis, quod est apologeticae demonstrationis fructus, sed in auctoritatem Dei revelantis, ab eaque ultimo accipit suam certitudinem suamque firmitatem : iudicium credibilitatis et iudicium credentitatis praevia sunt ad actum fidei, non constituunt formaliter actum fidei. Ceterum necesse non est vim alicuius habitus intellectivi explicari totam in peculiari aliqua functione illius ; et ideo nil obstare censemus quominus idem sapientialis habitus s. theologiae verificetur quoad substantiam in functione apologetica, seu in munere defensivo, quin debeat per illam exercere totam suam virtutem et ad actum reducere totam suam fecunditatem.

Quin immo rei ulterius firmandae opitulatur suffragium magisterii ecclesiastici. Nam, iuxta Vaticanum, recta ratio « fidei *fundamenta* demonstrat » (*DB.*, n. 1799). Nec aliter Litterae encyclicae « Humani generis », in quibus praeter alia scriptum invenimus : « In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad existentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei *fundamenta* signis divinis invicte comprobanda » (*AAS.*, 42 [1950], p. 571). Porro haec docendi et loquendi ratio, quam positive recipit magisterium Ecclesiae, nedum reprobet vel abhorreat, nonne legitimam facit rationalem demonstrationem circa fidei fundamenta? Et quid est ad extremum denique rationalis haec demonstratio, sive processus intellectualis evolutus, nisi « theologia », et theologia « fundamentalis »? Ergo prorsus legitima est tam huius rei quam huius nominis ratio.

Indebita evadit profecto huiusmodi denominatio, si quis universam s. theologiam coarctari contendat vel ad solam dogmaticam<sup>3</sup> vel ad solam scholasticam, ceteris partibus et muneribus exclusis a ratione theologiae proprie dictae. Atqui haec restrictio et coarctatio est prorsus illegitima, cum minime respondeat obiectivae rerum veritati. Sufficeret enim vel leviter perlustrasse latissimum campum divinae revelationis, atque vel parum respexisse ad uberrimam indolem s. theologiae in quantum est sapientia, seu suprema scientia.

Unitatem s. theologiae sic propugnat A. quod uni dogmaticae reservat ea quae ab aliis doctoribus adscribi solent morali : « Theologia

<sup>3</sup> Animadvertere liceat, per transennam, articulum R. P. C. Boyer in *Gregorianum*, 21 (1940), 255-266, ab A. bis citatum in bibliographia (pp. 55, 57), exacte inscribi *Qu'est-ce que la Théologie* [et non : la Dogmatique]. *Réflexions sur une controverse*.

revera est *una*, et ea *dogmatica*, quae extenditur ad omnes veritates speculativas sive practicas, quae ex fontibus revelationis ad modum doctrinae eruantur » (p. 208. *Sublineatio est nostra*). Hinc et thesim defendendam statuit :

« Theologia dogmatica quae investigat revelatorum quiditates est scientia undequaque una.

Est namque indivisa in se tum respectu obiecti et finium, tum respectu assensuum et munerum.

Insuper totum processum intellectualem circa revelata ita pervadit, ut nullam cognitionem independentem permittat.

Tandem inter disciplinas theologicas ita praeeminet, ut ceteras ad unitatem sub se reducat » (p. 262).

Theologia moralis, e contra, — cum versetur circa problemata « in-dolis plane diversae quam quae dogmaticam specificant » (p. 208), — dicenda videtur disciplina « subalternata » respectu theologiae dogmaticae, a qua mutuatur sua principia (ibid.).

Verum in peragendo huiusmodi negotio nefas est in oblivionem tradere normas communi usu receptas a scholasticis doctoribus in determinanda potentiarum et habituum specificatione. Attenta igitur *formali* unitate sui obiecti, sine ulla controversia astruenda videtur unitas ipsius habitus « theologici », adeo ut dogmatica et moralis, speculativa et practica, considerari debeant non alienae a ratione stricte dicta ipsius s. theologiae, sed partes illius ; et partes sane « integrales », non subiectivae, unius eiusdemque habitus theologici.

Ex alia parte, sicut confundere non licet dogmaticam cum scholastica, ita nec licitum est moralem prorsus aequiparare dogmaticae. Scholastica enim signat methodum quandam s. theologiae, eaque pari ratione adhiberi potest tam a dogmatica quam a morali. Hinc nullum impedimentum quominus et theologia moralis, — nec sola dogmatica, — possit, scholasticè procedendo, « revelatorum quiditates » investigare quae ad mores effingendos pertinent. Aliunde nefas est theologiae moralis excellentiam sic deprimere, eius amplitudinem sic limitare, eiusque fecunditatem sic restringere, ut paene reducat ad *casuisticam*. In casuisticam sane, prae sapientia (qualis est s. theologia) quae res iudicat per altissimas causas, influunt potissimum virtus prudentiae et rectum iudicium : nam ad prudentiam, seu ad rectam rationem agibilium recurrimus, ubi districanda obveniunt problemata, quae indesinenter exsurgunt ex innumeris vitae conditionibus et contingentiis.

Moralis ergo, quamvis materialiter differat a dogmatica, formaliter tamen una est cum illa. Inde fit quod sacra theologia attingat, utique tamquam proprium suum obiectum, materias valde diversas, — dis-serens, non solum de Deo eiusque vita intima, sed etiam de mundo eiusque legibus, necnon de *homine* eiusque *actibus* in ordine ad Deum, — et nihilominus sit formaliter una eademque virtus intellectiva in specie atoma : tunc sane diversis illis materiis non incumbit, nisi in quantum communicant omnes « in una ratione formali obiecti huius scientiae » (*Ia*, q. 1, a. 3).



Unde nil mirum quod etiam D. Thomas *unam* scientiam dixerit sacram doctrinam (*loc. cit.*), etsi ea « comprehendit sub se *utramque* », speculativam nimirum et practicam, dogmaticam et moralem (*Ibid.*, a. 4).

Ceterum, admissa unitate utriusque obiecti formalis, *quod* et *quo* (p. 223), nonne et ipse A. logice pervenire debuisset ad hanc Doctoris Angelici conclusionem? En quibus verbis asserit unitatem « subiecti » theologiae: « Est revera in s. theologia unum subiectum, quod omnia obiecta materialia sub se colligit, eoque ordinem ponit ex parte ipsorum obiectorum. Theologia non versatur circa totidem res disparatas (nominalistae) sed circa obiecta quae ordinatim offeruntur considerationi. Non ponimus pro subiecto collectionem obiectorum materialium sub una ratione generica exhibitorum (sent. 2), sed verum subiectum, id est res una in se, quae ceteras res ad se attrahit » (p. 225).

Ergo, quousque theologus vir non desinit procedere sub lumine divinae revelationis et de omnibus, — ipsa quoque humana activitate non exclusa, — investigat sub formali ratione deitatis, nonnisi unam specificè actionem emittit, quae proinde unum specificè eundemque habitum intellectivum supponit et arguit.

Nec in contrarium valere arbitramur comparationem quam statuit A. inter moralem et liturgiam in ordine ad dogmaticam. Nam s. liturgia, ubi providere suscipit problematibus specialibus, quae oriuntur in concreto ex obligatione reddendi Deo rebusque divinis debitum cultum, et quibus solvendis theologia dogmatica nihil prodest, v. gr. « quibusnam reverentiis S. Eucharistia digne colatur » (p. 208), utique non procedit sub lumine divinae revelationis; sed, praesupposita fide, — nec semper et necessario theologia, — suis casibus peculiaribus obviare contendit ad mensuram quam in determinatis temporum et locorum circumstantiis respective suggerunt religio, prudentia, ars, civilis cultus, nationales traditiones, et alia huiusmodi.

Animadversionibus hucusque peractis fas esto hoc unum addere circa viam seu methodum quam A. praeferendam credit et secutus est in concipienda sua introductione eaque organice construenda.

Iuxta ipsum, connaturalis ordo in enucleando problemate theologico non esset: « revelatio, ex revelatione fides, ex fide theologia »; sed est potius: « revelatio, catechismus, theologia, simul autem cum his fides et contemplatio » (p. 75). Nam « theologiae initium non recte assignatur religio in genere, aut ordo supernaturalis, aut psychologia actus fidei, sed plane christiana revelatio ab Ecclesia catholica custodita; ex huius quippe aptitudine et exigentiis oritur nostra sacra theologia » (p. 6).

Verum, si theologia consideretur non praecise ut scientia fidei, sed tamquam « amplificatio catechismi adeoque accuratior perceptio revelatorum » (p. 75), nonne videtur extenuari et quodammodo infringi intimior nexus quo devinciuntur pariter theologia et fides? Hoc certo non evenit absque gravissimo detrimento disciplinae theologicae, cuius excellentiam et certitudinem ultimo pendere constat a fide et a revelatione.

Iam vero, eliminari nequit tam magnum periculum, — ut ego quidem opinor, — nisi urgeatur « subalternatio » s. theologiae. Nonnisi admissa atque supposita eius « subalternatione » ad scientiam Dei et Beatorum fide mediante, sacra theologia evadit « scientia fidei », et quidem sensu proprio ac rigoroso, adeo ut ipsa non tantum *cum* revelatione et fide procedat (« simul autem cum his fides et contemplatio », p. 75), sed *ex* revelatione et *ex* fide suum peragat negotium. Revera est proprie subalternatio, quae efficit ut revelatio et fides, vel melius divina revelatio fide suscepta, non se habeat mere *concomitanter*, sed prorsus *efficienter* in perficiendo labore stricte theologico: nam vi subalternationis, articuli fidei, — quos theologia accipit et credit, praecise quia subalternatur, — evadunt principia positive influentia in conclusiones, quas theologus sub lumine revelationis virtualis deducit et eruit. Praeunte subalternatione, revelatio et fides se habebunt erga theologiam non solum *ocasio*, aut *conditio sine qua non*, sed verae et proprie dictae *causae* conclusionum theologicarum: quibus causis deficientibus, nulla penitus conclusio stricte theologica confici posset.

Alio autem ex capite, semper reminiscamur oportet intellectualem ipsum processum, quem divina revelatio suscitatur et quem A. iure extollit per totum suum opus, non esse aliquid distinctum a fide quod valeat per instructionem catechetica et per laborem theologicum ad perfectionem adduci, tamquam aliquid extraneum a fide vel connexive et collateraliter adiunctum fidei, sed esse elementum essenziale et intrinsecum fidei, cum sit ipsa intellectualis activitas qua emittitur actus fidei; nam actus fidei formaliter sumptus non est nisi « verus *assensus intellectus* veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe ea quae a Deo personali, Creatore ac Domino nostro, dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter auctoritatem Dei summe veracis » (DB., n. 2145).

Sed, ni fallimur, circa habitudinem theologiae ad fidem A. alibi aliter sentire videtur. Sic enim scribit: « Cum fides simplex sequatur ingenuam thesauri doctrinalis receptionem, theologia *supervenit fidei* tamquam conatus *ipsam fidem* seu potius ipsas veritates fide creditas, intelligendi. Hoc sensu theologia est vere *fides quaerens intellectum*, prout docuerunt S. Augustinus et S. Anselmus et exinde effatum commune evasit » (p. 190. *Sublineatio est nostra*).

Nunc autem, si haec vera sunt nec fuerunt antecedenter (p. 74) reprobata, non videmus quare connaturalis ordo in perscrutando atque perpendendo problemate theologico fieri non debeat secundum sequens schema, videlicet: revelatio, fides, theologia. Et si hoc schema validum retinetur, s. theologia est proprie et stricte « scientia fidei », seu ipsius fidei evoluta ac elaborata disciplina. Et consequenter, nullum debet esse dubium quin « psychologia actus fidei » adsignetur vera radix, utique proxima et immediata, sacrae theologiae. Siquidem constat inter omnes intellectum et voluntatem pariter confluere in actum fidei emittendum; sed et omnibus compertum esse debet utrumque hoc psychologicum elementum, cognitionis nempe et amoris, suo modo hominem fidelem ultro compellere ad instituendam « theologiam », seu

accurationem ac profundiozem de veritatibus revelatis et creditis investigationem.

Quod in explorando atque discutiendo opere R. P. Bartholomaei Xiberta paulo copiosius immorati simus, nemini fucum facere debet. Ad hoc enim compulit intrinsecus ipsius operis valor; ad hoc incitavit peropportuna eius ratio. Habemus siquidem prae manibus introductionem procul dubio perfectiorem ac praestantiozem omnibus introductionibus in sacram theologiam hactenus exaratis. Hac de causa eam fusius perpendendam arbitrati sumus.

Peracto autem examine, liceat sincero animo gratulari R. P. Xiberta quod, scriba vere doctus in regno Dei, protulit de thesauro suo nova et vetera; et quod opus vere bonum operatus est, idque perutile non tantum alumnis sed ipsis quoque rerum divinarum magistris.

*Romae.*

P. NILUS A S. BROCARDO, O.C.D.